

Bryson Library,
Teachers College
New York

Ann. XVI.

ROMAE, Mense Ianuario MCMXIII

Num. I.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

CONDIDIT ARISTIDES LEONORI EQUES

POSSIDET ATQUE ADMINISTRAT SOCIETAS EDITRIX ROMANA

Premium annuae subnotationis, est:

In Italia: Libellarum **6**

ubique extra Italiam: Lib. **9** (Doll. **1,80**; Sch. **7**; M. **7**; Rubl. **4**; Coron. **9**)

ANTE SOLVENDUM ET RECTO TRAMITE MITTENDUM

AD SOCIETATEM EDITRICEM ROMANAM

ROMA — Via delle Coppelle, 35 — ROMA



SUBNOTATIO EXTRA ITALIAM FIERI POTEST:

IN RUSSIA

apud
Gebethner et Wolf

Varsaviae Polonorum

Rakewskie Przedmiescie, 15

IN ANGLIA

apud
"Kronika Rodzinna .."

Varsaviae Polonorum

Krakowskie Przedmiescie, 6.

apud
Burns and Oates

London W.

28, Orchard Street.

IN CANADA

apud
Librairie Granger Frères

Montreal

1699, Rue Notre-Dame

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Usum latini sermonis per orbem universum tuetur ac fovet

Itaque, latine omnino exarata, scripta edit, quae populos omnes aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones, a nunciis et significationibus ad simplices et facili stylo expressas descriptiones, narratiunculas, dramaticas actiones; ab antiquitatis scientia ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes, unde colloquia latine inire atque alere detur; a doctorum virorum scriptis nondum vulgatis aut parum cognitis ad primas adolescentium exercitationes, quae incitamentum veluti in palaestra eorum conatibus conferant; a Pontificiis denique documentis praecipuis ad iuris regulas in S. Congregationibus inductas; haec omnia ut quisque vel ex dissitis regionibus, aut cultu, doctrina, animi proclivitate, artibus alter ab altero diffinis per commentarium eumdem explere desideria sua possit.

PRETUM ANNUAE SUBNOTATIONIS EST:

In Italia libellarum **6**;

ubique extra Italianam lib. **9** (Doll. 1,80; Sch. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

ante solvendum et recto tramite mittendum ad Societatem Editricem Romanam

ROMA — VIA DELLE COPPELLE, 35 — ROMA

QUAE COMMENTARIUM POSSIDET NUNC ATQUE ADMINISTRAT.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA IN ANNUM MCMXIII

Pro Sociis singulis, quorum sive carmine sive soluta oratione scripta in Voce Urbis per an. MCMXIII edita fuerint et a doctorum virorum collegio ad id constituto maxime commendata, praemium erit argentei numismatis ex iis, quae Pontificis Maximi iussu quotannis in festo Apostolorum Principis cudi solent, Sacro Purpuratorum Senatui, Romanae Curiae aulicisque pontificiis distribuenda.

Pro Sociis qui libellas octo pretio subnotationis addiderint, delectus erit unius ex tabulis aere mirifice cisis, magnitudine cm. 118 \times 84, gesta Costantini M. Imperatoris referentibus prouti in Vaticanis aedibus Raphaël Sanctius eiusque discipuli penicillo expresserunt. Tabulae reddunt: *Pugnam inter Constantinum et Maxentium*; *Visum Crucis*; *Constantini Baptismum*; *Constantini donationem Pontifici factam*. — Si quis omnes cupiat, mittat lib. 32.

Pro Sociis, iisque Sacerdotibus, qui lib. quadraginta quattuor miserint, Vox Urbis gratuito conceditur; ii enim Novum Breviarium Romanum habebunt, iuxta nuperas dispositiones reformatum, charta vere Indica in 16° (15 \times 9) ab editrice Pont. domo Desclée et Soc. impressum, splendide ac solide ex pelle vulgo zigrino conglutinatum, foliorum selectione eleganter aurata; quod sane venale prostat lib. 44. — Quin imo simul cum Breviario gratuito etiam a praelaudata editrice domo « Proprium Dioecesis » cuiusque religabitur, si socius ipse miserit, aut emi iusserit, praemiso, uti par est, « Proprii » eiusdem pretio.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Praemia an. MCMXII sociis attributa.

Nonnullae Divi Thomae de iuvenum educatione sententiae singulares.

De leone XIII P. M. commentarius.

Philogicae notae. De restituendis latinae linguae syllabis.

Iudicrae pupae.

Paroemiae sive Adagia. Pennas nido maiores extendere. — Nosce teipsum. — Ne quid nimis. — Nescimus quid serus vesper vehat. — Simia in purpurea. — Asinus apud Cumanos. — Graculus inter Musas. — In eburnea vagina plumbeus gladius. — Currus bovem trahit.

Colloquia latina. Chartulae Lusoriae.

Vaticana pictura muralis de Constantini Imperatoris baptismo. Ad noventesim altaris Ministros.

Acta Pontificia. SSmi. D. N. Pii Div. Prov. PP. X Epistola Encyclica ad Episcopos Germaniae de consociationibus opificum.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione S. Officii. — Ex Congregatione pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis. — Ex Congregatione de Religiosis.

Diarium Vaticanicum. Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones. Annales. Annus MCMXII.

Publici per orbem coetus legibus ferendis.

Per orbem.

Libri recens dono accepti.

Aenigmata.

Appendix; Ad Romam.

PRAEMIA AN. MCMXII SOCIIS ATTRIBUTa

Sub exitum superioris mensis Decembribus MCMXII coetus doctorum virorum, a Voce Urbis ad in constitutus, convenit ut praemia sociis illis adsignaretur, quorum sive carmine sive soluta oratione scripta per annum MCMXII in commentario edita, commendata maxime fuerint.

Quae quidem praemia numismatum quattuor argenteorum erant ex iis, quae Pontificis Maximi iussu quotannis in festo Apostolorum Principis cudi solent Sacro Purpuratorum Senatui, Romanae Curiae aulicisque pontificiis distribuenda.

Iudices vero, scriptis omnibus, quae ad rem conferrent, diligenti examini subiectis, duo tantum praemia tribuenda censuerunt, eaque clarissimis sociis:

PAULO RECANATESI

ob eius carmina per annum in commentario nostro vulgata, illudque praesertim quo l *De studiis etymologicis* est inscriptum; atque

MARCO GALDI

qui tum carmina, tum soluta oratione scripta plura eaque valde probabilia nobis commisit. (1)

**

Dum egregiis viris ex animo gratulamur, ad palaestram nostram socios omnes iterum iterumque invitamus, in eorum memoriam revocantes, quo facilius ii in huiusmodi certamen allicerentur, quod ob latinatis illum amorem, quem unice in animo

(1) Cfr. in num. III: *Quadam animi inflammatione opus est in ingenio artibus edocendis*; in num. VI: *Johannes Pascoli*; in num. VII: *Puteus desertus*; in num. X: *De poesi, quae dicitur aulica*; in num. XI: *Lusus poetici*.

comprehensum habemus, indiximus, fines nullos tum circa argumenta — (satis enim erit ea cum commentarii nostri indole congruere) — tum circa numismatum numerum, positos esse.

Fortem igitur animum quam plurimi adhibeant, ultroque accedant!

VOX URBIS.

NONNULLAE DIVI THOMAE DE JUVENTUM EDUCATIONE SENTENTIAE SINGULARES

Etsi Thomas Aquinas de educanda iuventute argumentum ex professo et, quidem in genere, non vocaverit in discussionem, omnia tamen principia passim protulit, imo exposuit, ex quibus enucleanda res est.

Horum principiorum nonnulla hie, in Voce Urbis, reducendi in memoriam, data occasione, mens nobis est: unde pateat paedagogiam, adeo hodie decantatam, non esse disciplinam aut novam quoad principia, aut melius quam in temporibus anteactis informatam.

Unum hie nos seligimus dictum Angelici prorsus aureum, atque summe attendendum, de correctionis arte et modo.

Iubet imprimis Angelicus disciplinam, imo et correctionem adhibendam esse, hac ductus ratione quod « iuvenum corpora fervent naturali calore, ex quo concitatur iuventus ad delectationes corporales ». (Tit. II, lec. I). Unde per disciplinam sunt refraenandi, ne nociva cupiant, salubria negligant.

Hoc quidem posito et supposito, mox admonet parentes ne in excessum exeant: et hoc est quod dicimus singulare principium. Etenim ita cum Paulo Apostolo: « Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, id est non nimis arcendo aut subiiciendo, quia talis provocatio non animat ad bonum. ». (Eph. VI,

lec. I). Et rursus: « *Nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant, vide-licet ut non fiant pusillanimes.* Cuius ratio est quia homines retinent impressionem quam a pueritia habuerunt. Naturale autem est quod qui in servitute nutriuntur, semper sint pusillanimes; unde ratio est cuiusdam quare filii Israel non statim in Terram promissionis sunt perducti, quia fuerunt nutriti in servitute, et non habuisserunt audaciam contra inimicos pugnandi. Ios. XXXV, lec. IV: *Dicite pusillanimes: Confortamini et nolite timere.* » (*Coloss.* III, lec. IV).

Advertas, quaequo, hoc dictum solemnius et gravius: « *Naturale est quod qui in servitute nutriuntur, semper sint pusillanimes.* » Quae servitus non modo intelligenda est illa servitus legalis quam expunxit Ecclesia, sed servitus in genere dicta, qua quis non utitur, neque uti potest moraliter propriis mediis, propriaque, servatis servandis, autonomia. Unde male agunt magistri illi aut parentes qui, nedum foveant, promoveant et dirigant propriarum virium, imprimisque voluntatis, usum in iuvenibus, hunc tollunt et suffocant.

Quin potius iubet Aquinas ut proprio consilio iuvenes, iuxta modum suum, agant et decernant in plurimis, « *quia prudentia acquiritur per exercitium. Quando ergo in iuventute se in bonis non occupant, sunt in senectute imprudentes.*

Eccle. XXV: Quae in iuventute tua non congregasti quomodo in senectute tua invenies? » (*Tit.* II, lec. I).

Quae doctrina de disciplinae nimietate fugienda summi nobis videtur in se momenti, atque ingenio Angelici prorsus digna.

Multi hac nostra aetate queruntur ubique inter bonos et honestos deficere energias, quas vocant, publicas, animum difficultates obeundi, opera grandiora aggrediendi; lamentantur constantiam in principiis acceptis evanescere, vel etiam, proh dolor! illos quos in pietate enutriversant sedulius, ad impietatem saepe saepius vergere: videant illi utrum homines istiusmodi, dum iuvenes essent, habitum serviendi, non autem ex voluntate agendi, in educationis modo contraxerint.

Ex praedicta igitur doctrina, experimentis ceterum undique comprobata, non omnino laudanda methodus et ratio illa est, qua iuvenes eo melius educati atque efformati iudicantur, quo penitus subiecti omni alienae voluntati dicuntur, istamque coeco passu sequuntur.

Huc adde ex istiusmodi metodo alteram ex hisce duabus consequentis oriri, videlicet quod vel iuvenes illi qui nonnisi meram subjectionem didicerunt, eamdem grandiores facti retinent: tuncque etiam pessimis postmodum subjectionem suam exhibitri sunt plerumque; vel illam ut absurdam inde iudicant ac reprobant, tuncque in licentiam omnimodam defluunt.

Neque inde, quod a te notatum iubeo, auctoritas aliquid detrimenti pati censenda erit, siquidem iuvenibus ab ipsam auctoritate concedenda est illa congrua agendi sponte facultas.

* * *

At vero ulterius progreditur sanctus Thomas.

Ita quippe opuse. XVII, cap. III, pronuntiat: « *Pueros expedit nutrire in his quae postmodum sunt observaturi, ut ad hoc horum habitus informetur... Totum in hoc consistit, quod aliqui a pueritia erudiantur in hoc quod per totam vitam debent servare.*

Prov. XXII: Adolescens, iuxta viam suam, etiam quum senuerit, non recedet ab ea. »

Licet hic agatur speciatim de educandis clericis, ratio tamen adducta ab auctore generalior est, ut patet tum ex se, tum ex relata *Proverbiorum* auctoritate.

Quae doctrina primo intuitu videtur sole clarior. Manifestum namque est omnem quamcumque educationem non esse nisi totius protractioris vitae praeparationem, et quidem non per dissimilitudinem, sed per similitudinem.

Pauci tamen sunt qui plenius intelligent atque in proxim deducant.

Ubi sane agitur de augenda membrorum vi atque flexibilitate, omnes plerumque, hæc imprimis aetate nostra, iudicant necessaria, vel saltem prorsus utilia gymnasticae artis, deambulationum, artis nauticae et ludorum exercitia. Et hoc quidem recte, licet satius in mentes revocandum iuvenibus foret primos parentes nostros creatos esse agricolás, unde optimum foret ad efformanda, iuxta naturae normas, membra, si agriculturae proh pudor! operam aliquam navarent.

Ubi iterum perficiendus intellectus erit, omnes passim tenent illum qui doctus aliquando evadere cupit aut debet, studiis necessario vacaturum, ne ignarus remaneat. Inde in studia iuvenes incumbere iuxta indolem iubentur: ille scilicet qui doctor evadere vult, debet in iuventute sua intellectum studiis efformare, studiorum habitum contrahere, artem discere, etc.

Sed vero alia est in iuvene et homine facultas in hoc principalior, quod ex eadem omnium aliarum facultatum usus demum pendeat, voluntas nimirum, quae et ipsa ex iunioribus annis perficienda est, non solum in patiendo, sed et in agendo. Etenim « *ad utramque virtutem, acquisitam videlicet et infusam, aliquid operatur operum assuetudo; sed diversimode: nam virtutem quidem acquisitam causat; ad virtutem autem infusam disponit, et eam iam habitam conservat et promovet.* » (1, 2^{ae}, q. 92, a. 1).

Ubi inquiratur quidnam praestent nonnulli magistri ad efformandas iuvenum voluntates, vix responsionem quis inveniet sufficientem: vel si verbis assertam, factis tamen negatam invenies.

Id tamen reponunt, sat fore si iuvenes obedient, atque ubi recte obediverint, tunc postmodum per se acturos esse, atque proprias vires recte expansuros. Quae responsio nonnihil veri contineret si ab iuvenibus requireretur « *rationabile obsequium* », idest clare et perspicue consonum naturae « *animalis rationalis* »:

unde hanc rationem quasi suam propriam faceret ille: quum autem plerumque « sit pro ratione voluntas » hinc rebellant propter laesum suaे « individualitatis » ius vel nonnisi exterius exequuntur, dum interius male dicunt. Hinc infelix illa quotidiana apud nostros iuvenes experientia.

Promovenda igitur, non extinguenda voluntas ; scilicet humano modo dirigenda. Perficienda, inquam, est habitibus per actus acquisitis : non quod omnia simul sibi liceant, non quidem independenter ab auctoritate ad quam dirigere pertinet, sed eo sensu quod quasi pedentim, proprio marte atque sponte, concedente auctoritate, velle discat, simulque velle discrete, prudenter constanter iuxta rationis aetatis rerum statum

Videant rursus illi quorum interest, utrum in hoc praestanda sufficienter praestiterint, utrum nonnihil sit in methodo forsan immutandum.

J J B

DE LEONE XIII P. M.
COMMENTARIUS.

Scripturus breviter de rebus a Leone XIII P. M.
mirifice gestis, haec paucula praenuncianda esse reputo.
Temeritas enim esset, ne dicam peius, nec equidem
venia digna, si quis explicare praesumeret quidquid
vir immortalis in tam longa aetate peregit. Pius, muni-
ficus, eruditissimus, ac suprema potestate in terris
perfunctus, Dei amorem et religionis studium sapien-
tissime cum litteris coniunxit. Qui viridi ingenio pol-
lens vel ad ultimam senectam, omnibus praelucens
excelsi animi firmitate, multa eademque praeclara opera
in vulgus edidit, quibus homines in vetere sanctaque
religione retineret, et ea sermonis elegantia, ut, om-
nium sententia, nihil sit ultra quaerere. Idque si im-
prudens ego tentarem, haud immerito me Horatius car-
peret, qui Asinium olim suum

*motum ex Metello consule civium
Belliae causas.*

tractantem monuit, et iocose pariterque graviter invitat,
ut relictis altioribus carminibus, *quaerat modos leviores*
plectro.

Atque adeo, candide lector, ego « periculosae plenum opus aleae » mihi ipse trepidantius timidiusque evitabo, et in medium parva ex multis quae vir ille sanctissimus navavit in medium referam. Scio equidem me haud omnia hīc persequi posse; sed propediem gravi quoque auctoritate « quidquid sub terra est, in apricium proferet aetas ». 1871-1872, *Archivum, 10*, 191-192.

Mihi enim mens est atque voluntas parum de Leone XIII dicere, et quomodo, opitulante Deo, litterarum latinarum studiosissimus, Romanarum elegantiarum arbitrus, aetatis suae longe nobilissimus habitus sit.

Haec ipsa enucleando, haud praeterire silentio potero, vel saltem delibare quae Ipse vix, Deo auctore, Pontifex Maximus est renuntiatus, incredibili Christiani Nominis laetitia, gerenda sibi instituit. Namque mirum in modum consilio atque opere rem christianam auxit et firmavit. Eius enim exemplo et latinae litterae, pestilenti veluti sidere afflatae, ipso regnante, recreari quodammodo visae sunt et recenti decore illustrari:

Nisi vero tot aliae causae adstitissent nobis impedimento quominus Itali rebus suis prospicerent, quia nobis iter novum aperuit sapienterque munivit, ut in hoc quoque studiorum genere iterum primas inter gentes retulissent. Si operi impar ero, dicam: *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.*

Haec raptim praefatus ad rem meam advenio.

I. — De nativitate et studiis Joachimi Vincentii Pecci.

Paucis diebus a Pii IX P. M. obitu transactis, omnium magno Urbis gaudio, cunctis paene Cardinalium suffragiis, rite Pontifex Maximus IOACHIMUS PECCIUS solemniter designatur. Hic vero dies est decimus kalendas Martias an. MDCCCLXXVIII. Ipse vocari voluit Leo XIII in Leonis duodecimi obsequium, qui, quum brevi tempore antea regnaret, ad caelestia unice spectans, mortalia quaeque contemnens, potestatis dignitatem virtutibus cumulavit, quique nefarios praesertim homines occulto sacramento initiatos, tunc Italiae insidias struentes, ne ex tenebris latebris erumperent summopere exagitavit.

Nec Ioachimus Peccius repentinus homo erat suisque
aequalibus ignotus. Imo aetate iam provectus, idemque
Perusinorum Episcopus, singulari iam sapientia et vir-
tutum laude, in omnium ore ferebatur. Multi quoque
asserunt, Pium IX paucis ante diebus quam fato ce-
deret, quum Ioachimus Peccius e latere eius discederet,
ad suos conversum. dixisse: «En vobis Pontifex novus!»

Qui Carpineti in Volscis, postridie kal. Mart. MDCCCX
ortus erat. Pater eius Ludovicus, antiqua ac generosa
Senensi familia prognatus, euris publicis vacuus, per-
petuo acceptam villam obtinuit coluitque. Sub externo
dominatu, inter pueros nobiles est adscitus, qui, volente
imperatore, stipendia vel invito animo mererent. Mox,
everso regno, in patriam redux, immobilis fidei exemplar,
nullis aulicis honoribus adlectus, Romam contendit,
et ad paterna rura modicus se contulit. Diligens in pri-
mis satisque dives, fuit latinarum litterarum studiosus.
Qui prout ipse amabat litteras, omnibus doctrinis,
quibus puerilis aetas impertiri debet, filios, quos ab
Anna Prospere uxore suscepit, domi eruditivit. (1)

(1) Quam sapide, quam latine seriberet, tute ipse, lector, iudicaveris ex inscriptione, quam in uxor's sepulcro, Romae, apud XL Martyrum posuit.

« Anna Alex. F. Prosperia, egenorum altrix, filiorum amantissima, domo Cora — femina veteris sanctitatis, frugi, munifica. H. S. E. quae omni matrisfamilias munere nitide et in exemplum perfuncta, decessit cum luctu bonorum Non. Aug. an. MDCCXXIV. — Vixit dulcissime cum suis an. XL m. vii d. xi. Ludovicus Peccius coniux cum liberis moerentibus mulier rarissimae, incomparabili m. Posuit. Ave, anima candidissima. Te in pace.

Erat autem in puerio Ioachimo Vincentio, praeter docilitatem ingenii summa suavitas oris atque vocis, ut non solum celeriter arriperet quae traderentur, sed etiam excellenter pronunciaret. Qua ex re nobilis inter aequales ferebatur, clarusque citra invidiam exsplendescebat, ut omnibus iam de se non spem, sed fiduciam adferret. Sic ex domestica patris disciplina haud poenitendos fructus percepit.

Verum expletis primis litterarum studiis domi in sinuque matris, pater, qui eum ad maiora vocari cernebat, propulsatis bellorum periculis, adiuvante Deo, commodiorem scholam aptioremque suis est nactus. Galli enim, qui sub celeri Napoleonis I imperatoris dominatu Urbem tamdiu hostiliter obtinuerant, et ipsum Pontificem Max. Pium VII captivum Savonam apud Ligures in custodiam duxerant, omnia ad extremum casum traxerant. Roma, aerumnis cooperta atque in servile paene pistrinum defrusa, vix aliquam levamenti spem ab herili crudelitate habebat. Romanam sobolem in primis Patritii ad arma traductam longe videbant, in Urbe ab scholis abstinebant, ne puerorum animulae perfidis doctrinis erroribusque recentioribus inficerentur. Plerique beatiores in umbratili disciplina edocebantur, vel in privatas sodalium religiosorum aedes frequentiores itabant. Verum ex hac disciplina timidius adeo tradita atque secretis domibus retrusa, iam illa comoda in universam civitatem non proficiscebantur, quae ex publica litterarum schola profluxissent.

II. — Apud Viterbiū perfectius litteris exornatur.

Sic res se Romae habebant, quum tandem anno millesimo octingentesimo quarto et decimo, non. kal. Iunias, restincto undique bellorum incendio, in pacatam Urbem, omnibus adclamantibus civibus, triumphans Pontifex Maximus invehitur. Rebus quae ad religionem spectant, brevi domi compositis, consilium fuit extemplo pro viribus, civitatis malis mederi, quae externo dominatu invaluerant, et puerorum institutioni in primis prospicere. Tunc Pontifex Max. nihil antiquius habuit, quam ut viros pietate insignes advocaret, quorum opera patrum religio incolumis servaretur, et Romana soboles iis actibus formaretur, quae ad humanitatem pertinent. Prae ceteris instaurare sodales, quibus a Iesu nomen est inditum, rite voluit, eisque pueros in spem regni edocendos instituendosque tradere. Quare Viterbii, quae urbs est Romae proxima, Collegium eis aperiri permisit, ad quod celerius frequentissimi undique ephebi advalorunt. Omnibus enim religio erat incolumem in primis pietatem vel a tenera aetatula servari.

Quo factum est ut Ludovicus Peccius, idoneum tempus ratus locumque, studiis filiorum obsequeretur, et Viterbiū se contulit cum duobus pueris maioribus natu, eosque alacer sodalibus fidentissimus commisit. Vincentius, qui adhuc in matris obsequium hoc nomine usus est, etsi minor natu, primas tamen partes in schola facile referre incipit. Quod quidem generosi

condiscipuli animo aequo ferebant. Quos vero consuetudine sua sic sibi subito devinxit, ut ex illo tempore nemo eis perpetuo fuerit carior. Nam praeter gratiam, quae iam in adolescentulo magna erat, saepe ingenii virtute atque pietate omnibus praestabat. Carus itaque omnibus acceptusque, litteris latinis ad quas praesertim ferebatur, in exemplum enitebat. Huic et illa fortuita aderant omnia, quibus pueri honestari possunt; gratia scilicet vultus, vocis iucunditas, morum suavitas, memoria rerum et verborum plane singularis. Quo facto praeceptratores de egregio alumno summa concipiebant, et ad unum summo studebant opere, ne tantae virtutis igniculi in eo restinguerentur.

Saepe ex antique illius aetatis more, qui multis sane laudibus ferendus esset, in scholis inter alumnos ordinis superioris identidem fervida puerorum certamina exoriebantur, vel de re poetica, vel de patriae historia, vel de studio sermonis populi romani purius excolendo. Quod quidem exercitium iuvenum utilitati maxime favere nemo est qui dubitet, eorumque mentem atque aemulationem omnino incitare. In poeticis autem ludis latinis noster semper facile princeps erat. Tanta quoque cura studia etiam italica sequebatur, ut inter aequales, omnium sententia, scriptor haud inelegans haberetur.

Castior fluebat eius oratio, atque in expolita latinitate diserte maxime nitebat, quum in litteris etiam graecis haud mediocriter esset versatus. Omnes simul sentiebant Vincentium in latine scribendo modo Catullum referre, modo Tibullum; eiusque carmina haud iniucundo sententiarum candore praesertim commendabantur, et in affectata illa stili simplicitate, ob quam omnibus probari consueverunt poetae, quos noster prae oculis habere videbatur, et quorum carmina ex suo ingenio nullo prorsus labore proficisci videntur.

Quibus rebus saepe in discipulis mira exoritur iucunditas, laudabilisque aemulatio. Eum uno verbo, citra invidiam, lepide summum poetam salutant, suarum scholarum ornamentum patriaeque lumen proxime pollicebantur.

Est hic locus, ut in medium ad exemplum referam quae in honorem superioris sui cecinit, qui Vincentius Pavanus adpellabatur. Quae ingenuitas sermonis, quae verborum confidentia!

*Nomine Vincenti, quo tu, Pavane, vocaris,
Parvulus atque infans Peccius ipse vocor.
Quas es virtutes magnas, Pavane, secutus,
Oh! utinam possem Peccius ipse sequi!*

Illa vero iuvenilia poëseos exercitia omnino desiderantur et vix unum atque alterum e communi naufragio enatavit. Erant attamen parvulae ingenii significaciones, scintillae quaedam virtutum scilicet, quae aliquando in incendium evasurae essent!

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

PHILOLOGICAE NOTAE

De restituendis linguae latinae syllabis.

A clarissimo socio nostro Iacobo Tasset acceptimus, et libenter edimus, eum certiorem facientes iustas eius animadversiones ad illos, cuia proxime refert, trasmissas fuisse :

Dri. Iosepho Fornari, Commentarii *Vox Urbis* Moderatori salutem.

Litterarum comprehensione perversa vel syllabarum confusione, qua convulsa de suo loco ac demota consonans, cum vocali alia quam sua coniungitur, adulterari multis modis sonos videmus. Etenim attracta ad nasum vocalis, anatum saepe turpem imitatur gannitum. — Quare apud Francos « *sen [g] per* » et « *requiescēn [g]t* plerumque audies. — Verum ipsa consonans, vel spurio alterius litterae adversus *correptae* syllabae legem adiectu, vel asperrimo noctuae flatu, aut sibilo corrumpi solet. Ita : « *Discite iustitiam moniti* », *dischīte iustītsiam* ; « *tu régere imperio, rēdjere.* »

Qua singularum syllabarum tabe corruevere sermonem universum necesse est. Nam, quae adulterat confusio vocem, etiam sensum adimit. Non enim legendο : in *mo-di-co fi-de-lis, bea-ti pa-ci-fi-ci*; sed in *mod-ic-o fid-el-is, beat-i pac-i-fic-i*; *modum* et *fidem*, *pacem* et *facientes*, intelligis. Hae syllabae sensus certos, illae nullos menti afferunt. Sic contra Priscianum, innumerabilibus huiuscemodi exemplis, *syllabam latinam* plerumque *consonante demonstratur desinere*. (Cfr. MUNRO, *Grammar of Classical Latin*).

Falsam itaque litterarum comprehensionem et inde ortam consonarum corruptionem Gothi profecto, non patres Ecclesiae, non Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, doctissimi interpretes fidei intulerunt, qui Ciceronem, Catonemque auctores secuti, lingua sunt integra locuti.

Operis quippe absoluti innocens nulla fit mutatio. Arcenda profanae novitatis *Progressus* dicta ab amatoribus atque *Evolutio* idola. Verum enim Scipionum temporibus absolutam atque perfectam esse linguae latinae formam, docent Caesar, Sallustius et Cicero. Quam ipsi ante Christum ad transferendam Graecorum humanitatem adhibuere, eadem nos in civitate Dei utimur; nisi saepius inimicorum insidiis et perduellium vastationibus perturbemur.

Caveant ergo latinitatis praesides, et editores in primis Antiphonarii libri : *ne consona littera cum sequente vocali alia comprehendatur quam praecedente sua.*

Quam rogationem velim, si tibi videtur, ut ad magistratus Christianae Reipublicae tu proximus deferas.

Vale. Dabam die XIII Xbris 1912, Turnoduro in Gallia Senonia.

I. TASSET.

LUDICRAE PUPAE

Ad pueros, Bacchanalium tempore.

Quis furor est, pueri, dum Bacchanalia fervent,

Tot nugas passim stultiasque sequi?

Et spectare leves ubi personata cachinos

Futilibus gestit turba ciere modis?

Mentito hic gaudet spectantes fallere vultu,

Rexque salutari qui modo servus erat.

Ille hominis ferme sortem indignatus, iniquum

Se brutum simulans cornua utrinque gerit.

Sic vani studiis sectantes ludicra vanis,

Se produnt sanae mentis habere nihil.

Nil rigido metuunt immissas frigore tusses,

Morborum et tacite quod subit acre genus.

Heus procul hinc, pueri : potius succedite quo vos

Delectet risu spissa taberna levi.

Hic nempe in parvum sinuat se scena theatrum,

Mobilis, et miscet plurima pupa iocos.

Haec venit imposito longe spectanda cucullo,

Et gibbi immenso tubere terga tument.

Altera, quae mento sese commendat adunco,

Et veste et bracca versicolore placet.

Sunt aliae, quarum nec dicere nomina possum;

Formaque dissimiles ingeniumque probat.

Quid? quod quaeque hominum simulans lepidissima gestus

Scit docili veros reddere voce sonos?

Et pede tunc ducunt agiles plaudente choreas,

Nunc dura impacto proelia fuste cident?

His ego, nam memini, puerili aetate trahebar,

Haud inerat penito in pectore cura prior.

Ignaris quin saepe fuit dolus utilis annis,

Ut vellem invisas discere litterulas,

Et Cicero haereret multusque in pollice Naso;

Omnis et officii sedulus ipse forem.

At si spectaclo improbus prohibebat amico,

Quam gravis in meritum poena erat illa caput!

Profectura nihil iactans promissa, querelas

Pergebam et largas fundere lacrimulas.

H. N.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Pennas nido maiores extendere.

Translatum ab avium pullis, qui sic grandescunt, subnascentibus plumis, ut materno nido capi non possint, adhibuit Horatius hoc adagium in *Epistolis*, pro eo quod est rem fortunamque, quam mediocrem aut tenuem a maioribus acceperis, auctiorem reddere; quod quidem, si virtute fiat, summa laus est. En Horatii verba :

Me libertino natum patre et in tenui re

Maiores pennas nido extendisse loqueris,

Ut, quantum generi demas, virtutibus addas.

Nosce te ipsum.

Primum hoc erat trium illorum inter omnia sapientum apophthegmatum vel maxime celebratorum, quae, uti in *Charmide* testatur Plato, pro foribus templi Delphici ab Amphictyonibus inscripta, prout digna deo visebantur. In quo quidem modestiae mediocritatisque commendatio est, ne nobis vel maiora vel etiam indigna sequamur. Nam hinc omnis vitae pestis oritur, quod sibi quisque blanditur, et, quantum aliis praeter aequum detrahit, tantum sibi sui amoris vitio praeter meritum tribuit. M. Tullius ad Quintum fratrem (l. III): «Et illud — inquit — (Nosce te ipsum) noli putare ad arrogantiam minuendam solum esse dictum, verum etiam ut bona nostra norimus». Ferebatur etiam apud Graecos senarius quidam inter sententias proverbiales, cuius sensus hic erat: «Ubique confert ut te ipsum noveris». Citatur a Nonio Marcello satyra quaedam Varronis de hoc argumendo; et Ovidius (*De art. am.*):

*Fama celebrata per orbem
Littera, cognosci quae sibi quemque iubet.*

Qui quidem Ovidius hanc sententiam ad Pythagoram auctorem refert; dum Platonicus Socrates ab Apolline profectam arbitratur; Plato enim in *Phoedro*: «Nondum possum — ait — me ipsum iuxta Delphicam inscriptionem cognoscere».

Sunt qui ex Homero, tamquam Oceano, hanc quoque mutuo sumptam existiment, apud quem Hector, quum in reliquos omnes impetum faceret, tamen Aiacem ut se praestantiorum declinavit. — Diogenes Thaleti tribuit. Apud hunc Antisthenes Phemonoae ascribit; ceterum Chilonem usurpasse. Thales autem rogatus: «Quid est difficile?» respondit se ipsum nosse; «Quid facile?» alterum admonere.

Macrobius primo in Scipionis somnii commentario tradit, cuidam Delphicum oraculum consulti, quoniam itinere posset ad felicitatem pervenire, responsum ad hunc modum: «Si te ipsum cognoveris». Id autem oraculum redditum fuit Croeso, ut auctor est Xenophon in *Cyri Institutione*. Praeterea Demonax fertur, interrogatus quando coepisset philosophari, dixisse: «Postquam coepi nosse me ipsum».

Socrates, quod Apollonis oraculo solus esset sapiens indicatus, quum Graecia tot haberet sophos, sic interpretatur, quod ceteros profitentes se scire quod nesciebant, hoc nomine viinceret, quod sciret se nihil scire, et hoc unum se scire profitebatur. Ceterum hanc Socratis modestiam vicit Anaxarchus, qui praedicabat se id quidem scire, quod nihil sciret.

Apud Menandrum denique quispiam corrigit hoc omnibus laudatissimum dictum: «Multis modis per-

peram dictum videtur: «Cognosce te ipsum»; magis enim hoc in rem fuerat: «Cognosce ceteros»».

Ne quid nimis.

Vulgatissimum hoc proverbium Diogenes Laertius Pythagorae adscribit; Aristoteles (*Ret.*, III) ad Biantem auctorem refert; alii Thaleti tribuunt, Soloni alii; Plato quodam loco ex Euripide citat. Neque desunt qui ad Homerum veluti fontem referant, cuius hi versus sunt in *Odyssea*, qui latine sonant:

*Mihi nequaquam is placet hospes,
Qui valde praeterque modum simul odit amatque;
Sed puto rectius esse, ut sint mediocria cuncta.*

Et in *Iliad.* XX:

Ne nimis aut laudes Tytida, aut vituperes me.

Ad Hesiodum quidem referre malimus; cuius illud est in opere, cui titulus *Opera ac Dies*: «Mensuram serva; modus in omni re optimus». Repetit Phocilides. Euripides, cum aliis aliquot locis, tum in *Hippolyto coronato*: «Sic equidem minus approbo quidquid est vehemens. quam quod vulgus ait, ne quid nimium». Apud Plutarchum Pindarus inducitur adnotantem hanc sententiam a sapientibus praeter modum fuisse laudatam; Sophocles eam in *Electra* adhibet; Plautus in *Poenulo*. Plinius (lib. II): «Perniciosissimus autem, et in omni quidem vita, quod nimium». Horatius denique:
*Est modus in rebus; sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

Atque rursus:

Virtus est medium vitiorum utrinque redactum.

Nescimus quid serus vesper vehat.

Ex *Menipeis* Varronis satyris citatur hic titulus, tum ab A. Gellio, tum a Macrobio, quo admonemur ne praesentium successum prosperitate sublati, futuri curam abiiciamus, neve ulla de re securi simus priusquam exitum viderimus. Idem hodie quoque vulgo dicunt, diem nondum ad vesperam decurrisse, significantes diversum exitum posse accidere. Apparet, Vergilium ad paroemiam allusisse, quum ait I *Georg.* libro: «Denique quid serus vesper vehat», agens de prognosticis occasus. — Titus Livius (*Decad.* V, lib. V): «In secundis rebus nihil in quemquam superbe ac violenter consulere decet, nec praesenti cedere fortunae, quum quid vesper ferat incertum est». Huc allusit Philippus rex apud eumdem (*Dec. IV, lib. IX*) quum Thessalis respondens minacem clausulam adiecit, nondum omnium dierum solem occidisse. — Potest hoc referri et illa Solonis sententia: «Specta finem longae vitae».

Simia in purpura.

In varios usus potest adhiberi paroemias, nempe vel in eos, qui, tametsi magnifico cultu sint ornati, tamen cuiusmodi sint, ex ipso vultu moribusque cognoscitur; vel in eos, quibus dignitas indecora additur; vel quoties rei per se foedae, ascititia peregrinaque ornamenta indecenter admoventur. Quid enim tam ridiculum quam simia vestita purpurea ueste? Atque id tamen — adnotat Mannuccius — non raro fieri videmus apud istos qui simias habent in deliciis, ut, quam maxime possunt, ad humanum morem ornent ac vestiant, aliquoties et purpura, quo parum attentos aut imperitos fallant, proque homine salutetur simia, aut, si deprehensus fuerit fucus, res magis sit ridicula.

Asinus apud Cumanos.

Competit in eos qui, quum sint inepti ridiculique, tamen apud ignotos rei novitate habentur in pretio; aut in eos, quibus honos aliquis praeter meritum additus a fortuna, tumorem et insolentiam, ita ut fere fit, conciliat; id quod eleganter notat Demosthenes *Olynthiacarum orationum I*, felicitatem et rerum successum, qui contigerit immerenti, stultis vesaniae causam praebere solere. Cui congruit illud ex Aeschylo citatum, grave pondus amentem esse rebus utentem prosperis.

Adagium natum ex nota fabula de asino fugitivo, qui apud Cumanos pro leone se gessit.

Graculus inter Musas.

Scilicet: Indoctus inter doctissimos; Infantissimus inter eloquentissimos, etc. — Recte dicetur et in homines ostentatione falsae doctrinæ sese iactantes et viris eruditis impudenter obstrepentes. Est enim graculus avis minime canora, sed tamen odiose garrula, atque obstrepera.

Confine est his, quod in *Bucolicis* ait Vergilius:
Sed argutos inter strepere anser olores.

Cygnos canoros esse sic omnium poetarum litteris est decantatum, ut nihil sit celebratius, etiam si nemini contigit hunc audire cantum. Nec desunt philosophi, qui huiusc rei rationem quoque reddere conentur. Aelianus addit eos non canere, nisi flante Favonio; unde fertur etiam proverbium: « Cygnea cantio ». Contra, anseres molesto quodam stridore obganniunt. Proinde, quum indoctus inter eruditos gannit, in tempore usurpabitur adagium: « Anser inter olores ».

In eburnea vagina plumbeus gladius.

Natum ex Diogenis Cynici apophthegmate. Nam, quum adolescens quispiam, insigni forma, foedum quiddam atque obscoenum dixisset: « Ex eburnea — inquit — vagina plumbeum gladium educis ».

Currus bovem trahit.

De re, quae praepostere geritur; veluti si ex gr. discipulus reprehendat praeceptorem, si ratio pareat affectui. — Translata metaphora a plaustris per declive retro labentibus, unaque secum bovem auferentibus.

COLLOQUIA LATINA**Chartulæ lusoriae ⁽¹⁾**

VALERIUS. — Quam asperum tempus! quam rigidum et saevum caelum! Quam lutosum solum!

THEODORUS. — Quid nos monet hic caeli ac soli habitus?

V. — Non egredi domo.

T. — Quid vero domi agere?

V. — Ad luculentum focum studere, meditari, cogitare de rebus, quae aliquid emolumenti afferrant menti probisque moribus.

CLAUDIUS. — Id quidem agendum praecipue, nec aliquid esse debet homini carius. Sed ubi ab intensione illa delassatus fuerit animus, quo divertet hoc dumtaxat tempore?

V. — Aliis quidem aliae sunt animorum refectiones; ego vero lusu foliorum magnopere oblector, ac recreor.

C. — Eone chartularum lusu qui « solitarii » audit? Scilicet et magnus ille Napoleon tempus aliquod hoc modo terere solitus erat.

V. — Hac ratione, quum sim solus; quando vero me comitantur amici... Numne haec temporis qualitas eo invitat ut abdamus nos in cubiculum bene clausum et septum undique vento atque frigore, lucente camino, mensa posita?

T. — Evidem placet.

C. — Promatur itaque pictarum paginarum fasciculus, pecuniae et nonnihil a singulis.

V. — Sed quartus comes nobis addendus, ut pari ludamus.

T. — Rodericum arcessam.

V. — Mane, mane; minime Rodericum, hominem iracundum, rixosum, clamosum, et qui minimis de rebus excitat saepe strepitus.

C. — Optime profecto mones; nam si talis adolescentis nostræ recreationi se admisceat, non sit ludere id, at serio rixari. Voca igitur pro illo Rogerium.

V. — Neque hunc, nisi velis, quaecumque hic fuerimus nugati, ante solis occasum notum esse omni civitati.

C. — Tam bonus est praeco?

V. — Est rerum quas scire nihil attinet; nam res bonas secretius reticet, quam Eleusina my-

(1) Ex *Latinae Linguae exercitationibus*; LUDOVICI VIVES passim tractavit I. F.

steria. At ecce ultro veniunt Manricus et Ludovicus.

MANRICUS. — Salvi sitis, sodales festivissimi.

V. — Quid sibi vult contractio isthaec frontis? Exporrigite istos vulticulos. An non estis iussi cogitationes omnes litterarias apud musaeum deponere?

M. — Cogitationes nostrae litterariae sunt adeo illitteratae, ut eas Musae quae sunt in musaeo respuant.

LUDOVICUS. — Salvete.

V. — Salus est dubia, quando ad acies et pugnas vocamur.

T. — Scilicet crumenae hic impetuntur, non iugula.

L. — Crumena plerisque est pro iugulo, et pecunia pro sanguine ac spiritu... Ceterum in hac fabula, quam video apparatam, nolo ego auctor esse, sed spectator.

C. — Ecce ita?

L. — Quia sum infortunatissimus; semper a ludo discedo victus et spoliatus.

T. — Scis quid dicunt proverbio aleatores? Ibi quaerendam esse togam ubi amiseris.

L. — Verum et periculum est, ne dum togam amissam quaero, perdam et tunicam et interulam.

T. — Accidit quidem hoc non raro; sed qui non periclitatur, non ditescit.

L. — Ea est metallicidarum sententia.

V. — Cuiusvis fuerit, certe non possumus nisi quatuor ludere. Sumus quinque: sortiemur, quis futurus fuerit aliorum spectator.

L. — Ego, inquam, et sine sortitione.

V. — Nihil tale: nulli est facienda iniuria; non cuiusquam voluntas id decernet, sed sors: cui primus Rex obtigerit, sedebit otiosus spectator, et si quid inciderit controversiae, iudex.

C. — Ecce vobis fasciculos duos foliorum integratos: alter est Italicus; Gallicus alter.

M. — Italicus hic non videtur iustus.

C. — Quid?

M. — Quoniam desunt decades.

V. — Non solent illi habere, ut Gallici. Chartae enim Italicae et ipsae in quattuor genera sunt seu familias divisae: habent vero aureos nummos, carchesia, baculos, enses; in quaue familia Regem, Equitem, Peditem; proinde monas, dyas, trias, quaternio, pentas, senio, heptas. Italica folia hic absolvuntur; Gallicis contra, ut nosti, sunt ogdoas, ennea atque decades; deinde Rex, Regina, Pedes in singulis familiis, quae sunt corda, rhembuli, trifolia, vomerculi seu palae aut assicula.

M. — Optime. Quo lusu ludemus?

V. — Triumpho Hispanico, si placet, chartis Gallicis.

C. — Placet, placet.

M. — Sit.

— V. Distributor retinebit sibi indicem chartam, si sit monas, aut imago humana.

M. — Sciamus iam quis erit ludo exclusus.

C. — Probe mones. Cedo folia. Hoc est tuum, Valeri; hoc istius; hoc Theodori; meum hoc.... ipse es Iudex, Manrice.

V. — Malo te mihi iudicem, quam collusorem.

M. — Bona venia, cur istuc, quaeaso?

V. — Quia es interdum in ludendo satis vafer et cavillator. Quin imo aiunt maledici artem quamdam tenere te componendo folia, ut tibi expediant.

M. — Non habet fraudem mea lusio; sed imperitiae aliorum industria mea videtur impostura. Itaque bene dixisti eos maledicos.

T. — Lusuri sumus bini: duo contra duos; quomodo erimus comparati?

L. — Ego ludi huius fere insciens adhaereo tibi, Theodore, quem audio esse excellentissimum.

C. — Adde etiam callidissimum.

T. — Non est hic opus electionibus; sorti sunt committenda omnia: quibus obvenerint plura puncta adversus eos pugnabunt, quibus pauciora.

L. — Esto ita: assigna folia.

C. — Ut optaveras. Ego et Valerius ab eadem stamus parte, contraria tuentur partes iste Ludovicus ac Theodorus.

V. — Sedeamus, ut solet, decussate. Da mihi illam sellam reclinatoriam ut quietius perdam.

C. — Appone scabella. Assideamus. Sortire iam cuius sint primae partes.

V. — Meae sunt. Distribue tu, Theodore.

T. — Quomodo? A sinistra in dexteram; an, Hispanico more, a dextera in sinistram?

V. — Hoc more; quoniam ludo Hispanorum utimur. Reiecisti decades?

T. — Etiam. Quot folia dabo singulis?

V. — Novena; sed quaenam erit sponsio?

L. — Terni in singulas manus denarii cum germinatione sponzionis.

T. — Sensim, Ludovice mi; nimium properas. Non esset is ludus, sed furor, ubi tantum pecuniae veniret in periculum. Quomodo potes oblectari in anxietate illa, ne tot nummi tibi pereant? Denarii singuli sufficient, et actus sponzionis erit dimidi, nempe assium quinque.

V. — Recte consulis: ita nec nihil ludemus, quod est insipidum; nec quid doleat, quod est acerbum.

T. — Habetis singuli novena folia? Cordium est familia dominatrix; et haec Regina est mea. Augeo sponzionem.

V. — Ludum habeo dissipatum, et male cohaerentem: cedo tibi.

C. — Et ego item. Distribue tu, Ludovice.

(Ad proximum numerum).



VATICANA PICTURA MURALIS DE CONSTANTINI IMPERATORIS BAPTISMO

En tertia muralium tabularum, quae in Vaticana aula conspiciuntur a Constantino, cognomine Magno, vulgo nuncupata. Haec est de Baptismi sacramento a celebri illo Imperatore suscepto, atque a Raphaële Sanctio adumbrata fuisse et ipsa creditur; certe Franciscus Penni eam pinxit, Urbinatis discipulus, quem tam penitus magister diligebat, ut ei rerum suarum administrationem commiserit — (unde Francisco *Factoris* cognomentum) — heredemque illum cum Iulio Romano instituerit, quamquam singulari hoc beneficio Pennius frui nequivit; decessit enim anno MDXXVIII, quarto scilicet ex qua tabulam, de qua loquimur, perfecerat.

Scenae nobilis vir adstat, temporum more, vestibus saeculi XIV indutus; in eoque imaginem Balthasaris Castiglione, viri illius litteratissimi et in publica re maxime versati, tunc in Urbe commorantis, omnes fere recognoverunt ad nostros usque dies; agitari res effingitur in Lateranensi baptisterio, quod ad amussim lineis redditum est; ac sacramenti administer S. Sylvester papa offeretur, iuxta traditionem diu servatam, at historica

veritate prorsus destitutam. (1) Constantinus enim ad salutis aeternae fontem accurrit tantum sub vitae exitum, non Romae, sed Nicomediae, (2) ut iam Eusebius monuerat. Cui igitur quum a criticis iudicibus et in hoc argumento aucta sit fides, non inutile erit cedere narrationis locum.

«Principio quidem inaequalis corporis intemperies; — scribit auctor in lib. IV *Vitae Constantini* — posthaec morbus eum invasit. Itaque ad aquas calidas civitatis sua progressus, inde Helenopolim delatus est, urbem matris sue nomine appellatam: ibique in templo martyrum diu commoratus, supplicationes et preces obtulit Deo. Quumque extremum vitae diem sibi iam imminere sentiret, tempus tandem adesse existimavit, quo totius vitae delicta expiaret; firmissime credens, quaecumque humanitus peccavisset, arcanorum verborum efficacia et salutari lavacro penitus esse delenda. Haec quum apud se reputasset, genu

(1) Cfr. DUCHESNE, *Liber Pontificalis* I, p. CIX-CXX; DÜLLINGER, *Popstfabeln*, p. 52-61.

(2) P. ALBERS S. I., *Enchiridion Hist. Eccl. Univ.*, pag. 197; FUNK, *Storia della Chiesa*, tradotta da P. Perciballi, pag. 135.

flexo humi procumbens, veniam a Deo supplex poposcit, peccata sua confitens in ipso Martyrio: quo in loco manuum impositionem cum solemnii precatione primum meruit accipere. Hinc ad suburbana Nicomediae digressus, convocatis Episcopis, sic ad eos verba fecit: "Hoc erat tempus quod iamdudum sperabam quum incredibili cupiditate arderem, votisque omnibus desiderarem salutem in Deo consequi. Iam tempus est ut signum illud, quod immortalitatem confert, nos quoque percipiamus; tempus est ut salutaris signaculi participes simus. Evidem olim statueram id agere in flumine Iordan, in quo Servator ipse ad exemplum nostrum, lavacrum suscepisse memoratur. Sed Deus, qui optime novit ea quae nobis utilia sunt, hoc in loco nobis id ipsum exhibere dignatur. Proinde omnis removeatur dubitatio. Nam si quidem Deus vitae mortisque arbiter, hic me diutius vitam agere voluerit, idque semel decretum est ut in posterum una cum populo Dei permiscear, et in Ecclesiam adscitus cum reliquis omnibus orationum particeps fiam, eas vivendi leges mihi praescripturum me esse spondeo, quae sint Deo dignae, „Haec quum dixisset illi solemnii ritu divinas caeremonias peregerunt, iniunctisque ei quaecumque necessaria erant, sacrorum mysteriorum participem eum fecere... Postquam omnia rite impleta sunt, candidis ac regiis vestibus lucis instar radiantibus est amictus, et candidissimo in lecto recubuit, nec purpuram contingere amplius voluit... Porro haec omnia gerebantur in maxima illa solemnitate venerandae et sacratissimae Pentecostes; quae septenario hebdomadum numero decorata, unitate obsignatur. In qua et communis Servatoris ascensum in caelos et Sancti Spiritus in terras descensum contigisse, sacrae litterae testantur.

In ea igitur solemnitate Imperator haec diximus quae consecutus, ultima tandem die, quam si quis omnium festivitatum maximam vocet, haud quaquam meo iudicio aberraverit, circa meridiem migravit ad Dominum. — Erat rep. sal. annus CCCXXXVII.

*

**

Sociorum denique in mentem revocamus, tabulam eorum oculis hic hodie subiectam, ut eas, quas in sup. an. fasc. X et XI edidimus, aere magnifice cusam, mensura 6cm. 118 × 84, cuius Romae exemplaria unus possidet Ioannes Panatta, posse ad sua domus ornamentum optimum a nobis haberi, dummodo subnotationis pretio *Vetus Urbis* commentario in an. MCMXIII constituto solum libellae octo additae fuerint.

Qui dubitet utrum oporteat Deum venerari aut parentes honorare, non indiget ratione, sed poena.

ARISTOT. *Topic.*, VIII.

AD NOVENSILES ALTARIS MINISTROS

Cave ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum.
(*Dent.*, IV, 23).

*Pacto perenni te penitus Deo
nuper dedisti, Mysta novensis;
Minister intrasti in potentem
Militiam Domini Domumque.*

*Solemne pactum! non violabile
cupiditatum tartareo impetu,
nec multiformis Vanitatis
insidiis stimuloque nequam.*

*Solemne pactum quot petet acribus
Gehenna telis, frangere idoneis!
Effrena cerabit Voluptas,
Ambitio, tumidique Honores.*

*Solemne pactum rodet in asperis
pectus labascens actibus, et nimis
quaesita Libertas, Teporque
obsequio Domini repugnans.*

*Solemne pactum frangere ne audeas
semper timendi iura Dei petunt;
quae iura constanter cruento
vel proprio studeas tueri.*

*Solemne pactum rumpere ne velis
et ipsa clamat turba fidelium;
quo namque confracto, his ruina,
non via, sal, neque lumen esses.*

*Praecepis abyssum vergit in improbam
gyro probroso Mundus, inania
tenaciter captat superbus;
hiscit ubique minax vorago.*

*Ne quis maligno cedere temporis.
Nunquam peracti foederis immemor,
resarcientis cuncta Christi
tu refove populos amore.*

*Pulchrum Mariae, gignere virgines
natae, viretum in corde coles tuo,
cuius sub umbra Castitatis
lilia perpetuo nitescant.*

*Papam (Piorum nunc decimum) et simul
quos ille sacros ungat Episcopos
vel maximi semper putabis.*

Pace ita perpetuo fruere.

Vici in Hispania.

I. FONTS.

ACTA PONTIFICIA

Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae X
Epistola Encyclica ad Episcopos Germaniae

DE CONSOCIATIONIBUS OPIFICUM.

Singulari quadam caritate benevolentiae erga Germaniae catholicos, qui, huius Apostolicae Sedi summa fide atque obsequio devincti, generose ac fortiter contendere pro Ecclesia consueverunt, impulsu sumus, Venerabiles Fratres, omne studium curamque convertere ad eam excutiendam controversiam, quae inter eos est, de consociationibus opificum: de qua quidem controversia iam pluries Nos proximis annis cum plerique vestrum tum prudentes et graves viri utriusque partis edocuerant. Atque eo studiosius incubuimus ad rem, quia pro Apostolici officii conscientia intelligimus sacrosanctum nostrum esse munus eniti et efficere, ut doctrinam catholicam hi Nobis dilecti filii sinceram et integrum servent, nec ullo pacto sinere, ut ipsa eorum Fides periclitetur. Nisi enim mature excitentur ad vigilandum, patet periculum eis esse, ne paullatim et quasi imprudenter in vago quoddam nec definito genere christiana religionis acquiescant, quae *interconfessionalis* dici solet, et cum inani communitatis christiana commendatione diffunditur, cum tamen manifesto nihil ea sit praedicationi Iesu Christi magis contrarium. Accedit quod, cum maxime Nobis in operatis sit catholicorum fovere et firmare concordiam, amoveri quaslibet volumus causas dissensionum, quae bonorum vires distrahendo, non possunt, nisi adversariis Religionis, prodesse: quin etiam cupimus optamusque, ut cum ipsis civibus a professione catholica alienis nostri eam pacem colant, sine qua nec disciplina societatis humanae nec prosperitas civitatis queat consistere. — Quamvis autem, ut diximus, statum huius causae haberemus cognitum, tamen placuit, antequam eam dijudicaremus, uniuscuiusque vestrum, Venerabiles Fratres, exquirere sententiam: vosque rogantibus Nobis ea quidem diligentia ac sollicitudine singuli respondistis quae gravitati quaestione erat consentanea.

Itaque primo loco edicimus catholicorum omnium officium esse et quidem in consuetudine vitae tum privata tum communi et publica sancte inviolateque servandum, tenere firmiter profiterique non timide christiana veritatis principia, Ecclesiae Catholicae magisterio tradita, ea praesertim quae Decessor Noster sapientissime in Encyclicis Litteris *Rerum novarum* exposuit; quaeque maxime et Episcopos Borussiae, qui anno MCM Fuldam convenerant, in suis consultis secutos esse scimus, et vosmet ipsis, rescriptentes Nobis quid de hac quaestione sentiretis, summatim complexos esse videmus.

Videlicet quidquid homo Christianus agat, etiam in ordine rerum terrenarum, non ei licere bona negligere quae sunt supra naturam, immo oportere, ad summum bonum tamquam ad ultimum finem ex christiana sapientiae praescriptis, omnia dirigat: omnes autem actiones eius, quatenus bonae aut malae sunt in genere morum, id est cum iure naturali et divino congruunt aut discrepant, iudicio et iurisdictioni Ecclesiae subesse. — Quicumque vel singuli vel consociati christiano gloriantur nomine, non eos debere, si officii sui meminerint, inimicitias simultatesque alere inter ordines civium, sed pacem caritatemque mutuam. — Causam socialem controversiasque ei causae subiectas de ratione spatioque operae, de modo salarii, de voluntaria cessatione opificum non mere oeconomiae esse naturae, proptereaque eiusmodi, quae componi, posthabita Ecclesiae auctoritate, possint; « quum contra verissimum sit eam (quaeconcionem socialem) moralem in primis et religiosam esse,

« ob eamque rem ex lege morum potissimum et religionis iudicio dirimendam ». (1)

Iam, quod ad societas operariorum attinet, quamquam iis propositum est commoda huius vitae comparare sociis, tamen maxime probanda, aptissimaeque omnium ad veram solidamque sociorum utilitatem illae sunt habendae, quae praecipue religionis catholicae fundamento constitutae sunt et Ecclesiam aperte sequuntur ducem: id quod plures Nosmet ipsi, ut ex diversis gentibus occasio oblata est, declaravimus. Ex quo illud consequitur, ut consociationes huiusmodi confessionis, ut aiunt, catholicae, in regionibus catholicorum certe ac praeterea in aliis omnibus, ubicumque per eas variis sociorum necessitatibus consuli posse videatur, institui atque omni ope adiuvari oporteat. Neque vero, — si de iis consociationibus agitur, quae causam religionis et morum directe aut oblique contingent — res foret quae probari ullo modo posset, in iis ipsis regionibus, quas mo' memoravimus, fovere et propagare velle consociationes mixtas, id est, quae ex catholicis et acatholicis conflentur. Et enim, ut alia omittamus, in magnis sane periculis ob societas huius generis versantur aut certe versari possunt nostrorum et integritas Fidei et iusta obtemperatio legibus praecepsisque Ecclesiae catholicae: quorum quidem periculorum etiam in pluribus vestris de hac quaestione responsis, Venerabiles Fratres, apertam significationem legimus.

Nos igitur mere catholicas, quotquot sunt in Germania, consociationes opificum perlitter omni ornamus laude, cupimusque bene evenire quidquid nituntur in commodum multitudinis operariae, laetioraque semper eis optamus incrementa. Verumtamen, hoc cum dicimus, non negamus fas esse catholicis, ut meliorem opifici fortunam, aequiorem mercedis et laboris conditionem querant, aut alia quavis honestae utilitatis causa, communiter cum acatholicis, cautione adhibita, laborare pro communi bono. Sed eius rei gratia, malumus catholicas societas et acatholicas iungi inter se foedere per illum opportunum inventum, quod *Cartel* dicitur.

Hie autem, Venerabiles Fratres, non pauci a Nobis petitis, ut Syndicatus Christianos qui appellantur, uti hodie in vestris dioecesis constituti sunt, per Nos vobis tolerare liceat, propterea quod et numerum opificum longe maiorem, quam consociationes mere catholicae, complectuntur, et magna, si id non licet, essent incommoda secutura. Cui Nos petitioni, respicientes peculiarem rei catholicae rationem in Germania, putamus concedendum, declaramusque tolerari posse, et permitti catholicis, ut eas quoque societas mixtas, quae in vestris sunt dioecesis, participant, quoad ex novis rerum adiunectis non desinat huiusmodi tolerantia aut opportuna esse aut iusta; ita tamen, si cautiones adhibeantur idoneae ad declinanda pericula, quae in eius generis consociationibus inesse diximus. Quarum cautionum haec praecipua sunt capita. — Primum omnium, curandum est, ut qui opifices catholici horum Syndicatum participes sunt, iidem catholicis operariorum societatibus, quae *Arbeitervereine* appellatione notantur, sint adscripti. Quod si ob hanc causam debeant alicuius rei, praecipue pecuniae, iacturam facere, pro certo habemus, eos, ut sunt incolumitatis fidei suae studiosi, non invite facturos. Etenim feliciter usu venit, ut hae Consociationes catholicae, admittente Clero cuius ductu vigiliaque gubernantur, plurimum valeant ad sinceritatem fidei, ad integratatem morum tuendam in sociis atque ad alendos eorum religiosos spiritus multiplice exercitatione pietatis. Quare qui consociationibus hisce moderantur, non est dubium, quin, gnari temporum, velint, praesertim de iustitiae et caritatis officiis, ea pracepta et praescripta tradere operariis, quae his necessarium

(1) Epist. Encycl. *Graves de communi.*

aut utile sit probe novisse, ut in Syndicatibus recte possint et secundum doctrinae catholicae principia versari.

Praeterea Syndicatus iidem — ut sint tales, quibus catholici dare nomen possint — necesse est ab omni se contineant vel ratione vel re quae cum doctrinis mandatisque Ecclesiae legitimaevē potestatis sacrae non conveniat: itemque ne quid minus probandum ex hoc capite aut scripta aut dicta aut facta eorum praebeant. Quare sacrorum Antistites officii ducant sanctissimi, observare sedulo, quem ad modum hae societas se gerant, et vigilare, ne catholici homines ex earum communione aliquid detrimenti capiant. Ipsi autem catholici Syndicatibus adscripti ne unquam siverint, ut Syndicatus, etiam qua tales, in curandis terrenis sociorum rebus ea profiteantur aut faciant, quae quocumque modo contraria sint praecoptis supremo Ecclesiae magisterio traditis, iisque praeerit quae supra revocavimus. Et hanc ob causam quoties de rebus attingentibus mores, id est de iustitia aut caritate, quaestiones existent, attentissime vigilabunt Episcopi, ne fideles catholicam morum disciplinam negligant, neve ab ea transversum unguem discedant.

Equidem certū habemus, Venerabiles Fratres, fore ut quae hic a Nobis praescripta sunt, ea vos religiose inviolateque servanda curetis, Nosque diligenter et assidue de re tanti momenti certiores faciatis. Quoniam vero hanc Nobis assumptissimus causam, eiusque iudicium, consultis Episcopis, Nostrum debet esse, praecipimus bonis quoctumque numerantur in catholicis, ut eadem de re iam nunc omni inter se disputatiōne abstineant; qui quidem, iuvat confidere futurum, ut, fraternae servientes caritati, pleneque obsequentes auctoritati Nostrae suorumque Pastorum, integre et ex animo efficiant quae iubemus. Quod si qua inter eos rerum difficultas oriatur, quo modo dissolvenda ea sit, habent in promptu: adeant Episcopos suos consultum, hique rem ad Apostolicam hanc Sedem deferent, a qua diuidicabitur. Quod reliquum est — et ex iis quae diximus, facile colligitur — quemadmodum ex una parte nemini fas esset accusare de suspecta Fide eoque impugnare nomine qui, constantes in defendendis doctrinis iuribusque Ecclesiae, tamen recto consilio volunt de Syndicatibus mixtis esse, et sunt, ubi pro locorum rationibus potestati sacrae visum est Syndicatus huiusmodi, certis adhibitis cautionibus, esse permettere: item, altera ex parte valde improbandum foret inimice insectari consociationes mere catholicas — quod genus contra omni est ope adiuvandum ac provehendum — atque adhiberi velle et quasi imponere *interconfessionale*, quod aiunt, genus, idque per speciem quoque exigendi ad unam eamdemque formam omnes, quotquot sunt in singulis dioecesis, catholicorum societas.

Interea, dum pro Germania catholica, ut magnos habeat in re et religiosa et civili progressus, vota facimus, ea ut feliciter eveniant, singularem Dei omnipotentis opem et Virginis Matris Dei, quae ipsa Regina pacis est, patrocinium genti dilectae imploramus: atque auspiciem divinorum munerum et eamdem praecipuae benevolentiae Nostrae stem, Apostolicam benedictionem vobis, dilekte Fili Noster et Venerabiles Fratres, vestroque Clero et populo amantisime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxiv mensis Septembris MCMXII, Pontificatus Nostri anno decimo.

PIVS PP. X.

*Durando fieri quaedam maiora videmus
Vulnera, quae melius non tetigisse fuit.*

OVID., *Ex Ponto*, III, 7.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

X aenea ait nobis oī salviū ī pītēm ī mīmōl ī mīcīlōsē
Ex Congregatione S. Officii.

Per decretum d. vii mens. Septembr. MCMXII damatur, proscribitur et in Indicem librorum prohibitorum referri mandatur opus, cui titulus: *Cenni biografici della Serva di Dio Paola Mandatori-Sacchetti per Valeriano Abb. Ferracci, parroco in Vallecorsa. (Roma, Tip. Sociale Polizzi e Valentini, 1905).* — Insuper reprobatur ac proscribitur inscriptio: *Un portrait merveilleux*, apposita imagini SS. Cordis Iesu, editae a Petro Brion (26, Rue Auguste Merillon. — Bordeaux).

Ex Congregatione pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis.

De pensionibus in Lusitania a publico aerario c'ero assignatis.

Quum quaestio S. Sedi proposita sit de pensionibus in Lusitania e publico aerario vi iniquae legis de Separatione clero assignatis, Beatissimus Pater, exquisita prius sententia peculiaris coetus Patrum Cardinalium e S. Congregatione pro Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis, referente eiusdem S. Congregationis Pro-Secretario, declarandum esse iussit: praedictam legem, iam Litteris encyclicis « Iamdudum » diei xxiv mens. Maii anni proxime elapsi sollemniter damnatam, ab omnibus esse reiiciendam: item improbandum esse recons Reipublicae decretum diei x mens. Iulii huius anni, quod episcoporum auctoritatem laedit, curionesque, qui pensiones accipiunt, in sacro ipso munere perfungendo ab oboedientia erga legitimos praepositos suos avertere ac iurisdictioni civilis potestatis iniuste subiicere nititur; sacri ordinis viros, qui eisdem pensionibus a Gubernio oblatis mira constantia magnoque animo renuntiarunt, summis laudibus decorandos; eorum vero qui, egestate forte impulsi, ad quam iniqua lege misere redacti sunt, ad vitam sustentandam illas accepérint, quum hoc tamen apud fideles Lusitanos, ob singulares temporis, loci ac personarum conditiones, multum habeat offensionis, officium esse ut scandalum amoveant, qua de re stent mandatis episcopi.

(Ex deer. d. XIII mens. Octobr. MCMXII).

Ex Congregatione de Religiosis.

De professione religiosa in mortis periculo permitenda.

In quocumque Ordine, vel quavis Congregatione aut Societate Religiosa, vel monasterio sive virorum sive mulierum, vel etiam in Institutis in quibus, quamvis vota non emittantur, in communi tamen vita agitur more Religiosorum, licet exinde Novitios, seu Probando, qui medici iudicio graviter aegrotent, adeo ut in mortis articulo constituti existimentur, ad professionem vel consecrationem aut promissionem iuxta proprias Regulas seu Constitutiones admittere, quamvis tempus novitiatus vel probationis nondum expleverint.

Attamen, ut Novitii seu Probandi ad supradictam professionem aut consecrationem aut promissionem admitti queant, oportet;

1. — Ut novitiatum seu probationem canonice incepint;

2. — Superior, qui Novitium seu Probandum ad professionem vel consecrationem aut promissionem admittit, sit ille qui monasterium vel novitiatus aut probandatus domum actu regat;

3. — Formula professionis vel consecrationis aut promissionis sit eadem quae in Instituto extra casum aegritudinis in usu est; et vota, si nuncupentur, sine temporis determinatione aut perpetuitate pronuntientur;

4. — Qui huiusmodi professionem, consecrationem vel promissionem emiserit, particeps erit omnium omnino indulgentiarum, suffragiorum et gratiarum, quae Religiosi vere professi in eodem Instituto decedentes consequuntur; eidem autem plenaria peccatorum suorum indulgentia et remissio in forma Iubilari misericorditer in Domino conceditur;

5. — Haec professio vel consecratio aut promissio, praeter gratias in praecedenti articulo enuntiatas, nullum omnino alium producit effectum. Proinde:

A) Si Novitus seu Probandus post huiusmodi professionem vel consecrationem aut promissionem integratus decedat, Institutum nulla bona vel iura ad ipsum pertinentia sibi vindicare poterit;

B) Si convalescat antequam tempus novitiatus seu probandatus expiret, in eadem omnino conditione veretur ac si nullam professionem emisset; ideoque:
a) libere, si velit, ad saeculum redire poterit; et
b) Superiores illum dimittere valent; c) totum novitiatus seu probandatus tempus in singulis Institutis definitum, licet si ultra annum, explere debet; d) hoc tempore expleto, si perseveret, nova professio seu consecratio vel promissio erit emittenda.

(Ex decr. d. x mens. Septembr. MCMXII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Decembri MCMXII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites, aliasque viros, qui sui quisque muneras gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum de Urbe; De Bulow Princeps eiusque uxor; Rogerus De Dampierre, Sancti Laurentii Dux; Victoria ex Urbanis Principibus Ruspoli; De Masin, Vicecomes; Paolozzi, Comes; De Rufano, Marchionissa; De Cassano-Zunica, Princeps; Caffarelli, Urbanus Dux eiusque uxor; Consilium maximum Societatis Iuvenum Catholicorum in Italia; Sacer Purpuratorum Senatus aulicique omnes bona omina in novum annum Summo Pontifici offerentes.

Pontificiae electiones.

In Consistorio habito d. ii mens. Decembbris MDCCCCXII Purpura decoratur rmus. dnus. CAROLUS DE HORNIG, epi-

scopus Veszprimien. Praeterea viduatis Ecclesiis pro visum est prout sequitur: Ad metropolitanam eccl. de Guadalaxara promovetur r. p. d. Franciscus Orozco Jimenez, episc. de Chiapaz; ad metr. eccl. Lugdunensem r. p. d. Hector Ireneus Sevin, episc. Catalaunen.; ad metr. eccl. Colonensem r. p. d. Felix de Hartmann, episc. Monasterien.; ad tit. eccl. Epiphanius, transfertur r. p. d. Astenius del Campo y Monasterio, episc. de Caceres; ad tit. eccl. Echinen. r. p. d. Franciscus Simon y Rodenas, episc. S. Mar thae; ad tit. eccl. Himerien. r. p. d. Andreas Masera, episc. Bugellen.; ad cathedr. eccl. Faentinam r. p. d. Vincentius Bacchi, episc. tit. Myndius; ad cathedr. eccl. Anagninam eligitur r. p. d. Silvins Gasperini, Vicarius capit. Spoletan.; ad cathedr. eccl. Bugellensem r. p. d. Natalis Serafino, Abbas Nostrae Domine de Remedio, Genuae; ad cathedr. eccl. Tabasquen. r. d. Antonius Hernandez, Vic. Gen dioec. de Chialpa; ad eccl. tit. Comanen. r. p. d. Adam Senger, Vic. Gen. Bambergen.

— Per decreta S. Congnis. Consistorialis praefecti sunt: Tit. eccl. episc. Titopolitanae sac. Eduardus Iosephus Hanna dioec. Roffensis in America, qui simul constitutus est auxiliaris rmi. dni. Patritii Gulielmi Riordan, archiepiscopi S. Francisci in California; tit. eccl. Metellopolitanae rmus. d. Iacobus Carroll, hactenus episc. Novae Segobiae; cathedr. eccl. Sancti Severi rmus. d. Caietanus Pizzi, hactenus ep. Laquedonien.; cathedr. eccl. Brixinensi rmus. d. Franciscus Egger, hactenus episc. tit. Laranden.; tit. eccl. archiepisc. Cyrrensi rmus. d. Ioachim Iosephus Vieira, nuperime nominatus episc. tit. Imerien.

Brevi apostolico denique r. d. Patritius Phelan, Vic. gen. dioec. Melburnensis, episc. Salien. in Australia dictus est.

— R. p. d. Eugenius Pacelli, Pro-secretarius S. Congnis. Negotiorum ecclesiasticorum extra ordinem, inter Consultores S. Congregationis S. Officii refertur.

— Rmus. dnus. Henricus Gasparri ad Brasiliensem apostolicam legationem; rmus. dnus. Emanuel de Sarzana ad Belgicam; rmus. dnus. Laurentius Schioppa ad Bavariam; rmus. dnus. Iosephus Apap - Bologna ad Hispanicam addicuntur.

ANNALES

Annus MCMXII.

Qui nuper praeterit annus MCMXII peculiari nota ex armorum fragore distinctus est. Bella postrema quibus implicatas Europae civitates iamdiu videramus, ut Hispano-americanum, Anglo-boerum, Russo-iaponicum et nuperrimum Italo-turicum, extra Europam pugnata fuerant; huiusmodi vero prope dicam Europae immunitas, cui assueveramus, anno MCMXII quaestione illa Orientali violata est, quae per Berolinense foedus soluta praedicabatur, at cineribus nunquam reapse extinctis, vehementer atque improviso surrexit. Gravis ille Bosphori aeger curis omnis generis, tum blandis tum acerbis, subiectus erat, at vero tam parum efficacibus, ut Europaearum civitatum gubernia pro se primum, ac deinde pro Europae universae bono chirurgicis tractationibus operam dare coacta fuerint.

Annus itaque MCMXII ob legatorum ex omni Europa conventum Londini Idibus Decembbris congregatum insignis praecipue evadet, ex quo in novum ordinem Balcanica regio adducetur... si optatos fructus ex animorum concordia carpere datum fuerit.

Quomodo autem ad rem ventum est?

Dum per superiorem mensem Octobrem de pace inter Italos atque Turcas disceptatur, moraque trahuntur ea praesertim de causa, quod magna cum difficultate formula inveniretur de Libyae cum Italico regno adnexione Turcis acceptabilis, quattuor Balkanici Status, peculiaris foederis vinculis inter se coniuncti, post novas caedes a Turcis Kocianae in Bulgaros, Sienicae autem ac Bielopolje in Serbos patratas, arma expedierunt, contra quae Turcae propugnaculum satis munitum opponere autumabant si amplas legum reformatio-nes per se primum ac deinde per Austrorum Russorumque imperium Balkanicis populis graviter sponderent. Sero ac frusta tamen; socii enim viribus suis confisi, ab ipsa Europa non satis aestimatis, pollicitationibus intercessionibusque despectis, bellum intulerunt.

Quod quidem, per mensem unum cum dimidio peractum usque ad armorum inducias in Ciatalgiae montibus, victoriarum seriem constituit quamquam multa cum sanguinis effusione tum Bulgaris, qui per Kirkilisse et Lule Burgas fortissimis Turcarum inumentis expugnatis, et Adrianopoli urbe obsidione cincta ad Ciatalgiae arces pervenerunt; tum Serbis, qui, Kumanovo oppido capto, Novi-Bazar, veteremque Serbiā occuparunt atque Dyr-rhachium usque, ad Adriaticum mare, feliciter sunt progressi. Graeci, Elassona victa, Thessalonicam tenuerunt et ad Janninam pervenere; dum Nigri-Montis incolae ad Scodram castra ponere valent. Hoc rerum statu induciae a consociatis populis, Graeco excepto, cum Turcis sunt pactae, ac Londini de pace novoque Balkanicae regionis ordine agi coeptum.

Non vero firmandae in orbe pacis unica haec voluntas per annum mota; quin imo et eventus alii constantem huiusmodi animum sanxerunt. Ut regum administratorumque conventus praetereamus, commemorare hic satis fiat et triplex foedus inter Germaniam, Austriam et Italianam postremis hisce diebus renovatum; et navalem pactionem inter Gallos et Russos mense Iunio conclusam; et con-dictum, navale pariter, positum inter ipsos Gallos et Anglos, unde mense Augusto Gallorum classis in mari Mediterraneo e loco mota est; compositionem denique in quam Hispani et Galli de Mauritanio imperio convenerunt unde tandem aliquando Africi illius imperii quietem sperare licet.

Faxit Deus ut communibus optatis facta respondeant, utque populi omnes — primique Itali nos, qui anno MCMXII civitatem nostram tam prospere auctam vidimus — ad sui quisque humani civiliisque cultus incrementum, remotis procul bellis, anno MCMXIII tranquille perducantur!

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia** navalis rei administer Churchill ro-gationem legis obtulit de classiarium agmine au-gendo.

In **Austria** rationes acceptorum et expensarum ratae habitae; rogatio legis de militia instauranda, post acerrimam disceptationem, pariter approbata; Krobatin imperator bellicae rei administer suffectus, loco Auffenberg imperatoris, munere se abdicantis.

In **Gallia** de peditum copiis reformandis lata lex.

In **Germania** Bethmann Hollweg, administratorum praefectus, rationes renovandi foederis cum Austria et Italia facunde exposuit.

In **Hispania** compositio de Mauritanis rebus cum Gallia inita sancitur.

In **Iaponia** novum administratorum collegium compositum Katsura-Goto-Kalosaita.

In **Italia** a Senatu foedus cum Turcarum imperio sollemniter confirmatum.

In **Russia** novi coetus sessiones inchoatae Kowkzowii primi administri fusa et aequanimi oratione circa civitatis atque exterarum rerum statum. Makaroffius internis negotiis administer a Maklakoff gubernatore substitutus.

PER ORBEM

Die IIII mens. Decembris MCMXII ex Madagascar insula nunciatur Nossi - Be regio vehementissima procella fuisse longe lateque vastata. Octoginta hominum victimae lugentur.

— d. VII Madriti publicae institutionis administer Alba ex automobilis currus, quo vehebatur, of-fensi quodam, fractum brachii os reportat.

In oppido Moncalieri ad Augustam Taurinorum scelestā furum manus sepulcrum Elisabeth, Genuensis ducissae, materna Italici regis aviae, re-cens vita functae, noctu violat.

— d. X doctorum virorum coetus ad Nobelia praemia adsignanda constitutus, decernit nemini hoc anno praemium de pace tribuendum.

— d. XI Monachii senectute confectus ac late defletus obit Luitpoldus princeps, regia maiestatis officia, pro Othonē patruo mente capto, ab anno MDCCCLXXXVI gerens in Bavaro regno. Natus erat Herbipoli (vulgo Würzburg) in urbe d. XIII mens. Martii MDCCXXI. Aloisius filius natu maximus in potestate ei succedit.

— d. XVI, Tergeste, Austriaci populi monumen-tum Elisabeth imperatrici, nefarie aliquot ante annos in Helvetia interemptae, sollemni ritu inaugurator.

— d. XVIII Montis Hannoniae (vulgo Mons) athenaeum fortuito incendio graviter pessumdatum.

— d. XX flammis pariter fere omnino absu-muntur Nannetense theatrum, cui a renascente arte nomen, musicesque schola eidem adnexa.

— d. XXII similia contingunt notissimis vitreae artis officinis Murano in insula ad Venetias positis.

— d. XXIV septuaginta et quatuor annos natus Lutetiae Parisiorum naturae concedit Eduardus Detaille pictor, qui Meissonieri illius discipulus, bellicas actiones et ipse penicillo reddere dilexit, ob quas sibi popularem auram multam acquisivit.

— d. XXVI Vindobonae esse desinit Georgius Constantinus Czartoryski, De Klewan et Zukow

Dux, ex intimis Austrorum Imperatoris consiliariis, Dresdae in urbe natus d. xxiv mens. Aprilis MDCCCXXVIII.

— d. xxvii Romae septuagesimum octavum vitae annum agens decedit Petrus Lacava, publici Italorum coetus legibus ferendis decanus, iamque non semel supremi administratorum consilii particeps.

— d. xxx Stuttgardiae subita morte extinguitur Kiderlen Waechter, Germanorum in Imperio negotiorum ad exterios administer.



LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venundari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

Dott. G. B. BELLISSIMA, Professore di lettere Latine e Greche nel R. Liceo di Siena. *Il ponte Romano di Albium Ingaunum*. Memoria archeologica con due incisioni. — Senis, ex Soc. Ed. Giuntini. (Ven. lib. 1,50).

Corpusculum Inscriptionum Latinarum. Confecit IOHANNES BELLISSIMA, Professor litterarum Latinarum et Graecarum in Lycaeum Senensi. — Senis edid. Iunius et Bentivolus. (Ven. lib. 1).

P. PIACENZA. *In tres tabellas Ccurrentiae et Currentiae a S. R. C. noviter editae et in earum rubrica Commentarium, addita appendice decretorum recentiorum cum notis*. — Romae edid. Desclée et Soc. (Ven. lib. 2,50).

A. GASPARRI. *Tabulae perpetuae pro Divino Officio recitando Missaque celebranda iuxta novas rubricas SSmi. Dni. N. Pii PP. X iussu editas, ac novissima Decreta S. R. C.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

P. DE CARLO C. *Instructio pro Tonsuram et ordines recepturis, ad mentem P. Aloisii Togni, iuxta RR. Pontificum et SS. Congregationum recentiora decreta*. — Indidem. (Ven. lib. 2,50).

Mons. GEREMIA BONOMELLI, Vescovo di Cremona. *L'obbedienza dei Cattolici alle Podestà terrene*. — Seconda edizione. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

ID. *Religione, sì; Chiesa, no.* — Seconda edizione. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

ID. *La morale senza Dio*. — Seconda edizione. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

ID. *L'emigrazione*. — Seconda edizione. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

ID. *Capitale e lavoro*. — Seconda edizione. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

ID. *Liberalismo ed equivoci*. — Seconda edizione. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

ID. *Il clero e la società moderna*. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).


ID. *Cause della miscredenza moderna e rimedi. La libertà di pensiero*. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

M. MULOCHE. *Miss Lycheet (Sorellina)*. Racconto inglese per i ragazzi. — Indidem (Ven. lib. 2).

AMY STEEDMAN. *Perle nascoste*. (Storie e leggende d'Italia per piccoli e per grandi). Traduzione dall'inglese di Maria Adelaide Colombo. — Indidem. (Ven. lib. 2,50).

T. BAILEY ALDRICH. *La storia di un cattivo soggetto*. Racconto americano per i ragazzi, riccamente illustrato da A. B. Frost. — Indidem (Ven. lib. 2).

Mons. GIAMBATTISTA MENGHINI. *Norme pratiche e note illustrative per l'uso del Breviario e del Messale Romano secondo la costituzione «Divino afflatus», le tre nuove Tabelle per l'occorrenza e la concorrenza, e le ultime disposizioni della Sacra Congregazione dei Riti*. — Editio III. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).



AENIGMATA

I.

*Integer ecce tibi subigas qui cuspidi naves
Incursus hostis vel superare queas.
Verum si a toto studeas cor vellere, lector,
Conspice : Aegeis insula surgit aquis.*

II.

*Dant vitam saltus ; nemorali nutrior esca,
Quam natura mihi prodiga donat, agris
Demoror in terris, sed spiritus aëra scandit :
Hic alas errat qui me adhibere putat.
Me latet utilitas damnis an aequa resurgat,
Et si illata premam damna aliena bonis.
Novi ego si calidos hostis mox obsidet artus,
Vim minime robur tendere posse meum.
Vitali dum luce fruor, mihi construo viles
Ipse pyras, vivum me monumenta tegunt.
Exhorretque virum tumulati dextera tactum,
Meque, timens, audet tangere nulla manus.
Noscit ubi extinctum tenebrosa et sede sepultum,
Ad lucem revocat, qui sine luce iacet :
Instrumenta manu magica velut arte premendo,
E saxo vita me facit ille frui.*

A. EPIRO.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus :

ALOISII CLASII
LUSUS PASTORALES
(Latine vertit IOANNES BATTANI).

Aenigmata an. XV, n. X proposita his respondent:

- (1) Subter fugia fuge = Subterfugia fuge.
- (2) Dolium.

Ea rite soluta miserunt:

F. Arnori, *Mediolano*. — R. Richi, *Traianopolis*. — Leop. Brondel, *Brugis*. — Petrus Tergestinus - Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*. — A. Lois. Perraud, *Lutetiae Parisiorum*. — Vine. Starace, *Neapolis*. — Ad. Kozlowski, *Petricovia*. — Lud. Goux, *Bituricis*. — Leon. Feher, *Chicagine*. — Iac. Meneudez, *Madrito*. — Alois. Geyer, *Ratisbona*. — F. X. Ghion, *Ostuni*. — Rich. Müller, *Berolino*. — Claudius Lucensis — I. Ortiz, *Morelia*. — Iac. Gomez, *Caesaraugusta*. — P. Prado *Venetius*. — Alb. Kain, *Lublino*. — F. Wawer, *Marianopoli*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — E. Burg, *Monachio*.

Sortitus est praemium:

LEONARDUS FEHER,

ad quem missum est opus, cui titulus:

THOMAE VALLAURI

HISTORIA CRITICA LITTERARUM LATINARUM.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE, ex officina Societatis Editricis Romanae.

AD ROMIAM

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

VITULUS.

Heic quid est?

VELOX.

Statis loquentes?

VITULUS.

Currite!

Multi christiani sunt rapti in vincula.

Sic imperator profecturus imperat -

1. Quid?

2. Estne?

VITULUS.

Certe!

4. Milites Maxentii?...

VELOX.

Adest et ipse bellicis iam vestibus

Indutus...

1. Attamen...

VITULUS.

Cives hue colligit

2. Iстis ut esset pressus sed angustiis

Romanos territat, Christianos petit,

Suos fidissimos sic pravus provocat.

3. Quanam de causa?

VITULUS.

Dicunt maiestatis reos!

2. Sed ipse incusat, damnat et Maxentius!

VITULUS.

Adsunt epistolae, sunt testimonia!

(*Voces hic e longe exaudiuntur*):

« Sit impiis mors! Ducantur ad bestias! »

1. In quod fatale tempus incidimus,

2. Tace, sis!

3. Omnia supervasere milites!

4. Oh! tempus omnium perquam turpissimum!

1. Maxentius!

2. Refert quod hic iudicium?

3. Qui vultus! Ira fremens, tumidus, ferox...

OMNES.

Audistin?

1. Quid? Fuit qui mendax proditor
Tulit Maxentio res incredibiles?

2. Quasnam?

1. Pontificem dedisse litteras
Potenti filio Constantii Caesari.

2. Cur?

1. Ut potens ei ferret auxilium!

2. Hinc irae!

3. Raptus in ius!

4. Quae tristia tempora!

5. Est inquisitor ipse et iudex improbus.

2. Erit fortasse condemnatus capitisi.

3. Quae turba in foro! Erit qui dolor populi!

4. Amat Patrem suum.

1. Qui clarus meritis

Nos omnes curis cumulat muneribus,

Premunt angustiae dum multae...

2. Et undique.

3. Potest iugum quis ferre sic iniurium?

4. Priusquam contra Constantinum congerat,

Venit cum virum magna multitudine

In forum, simulans orare ad populum

Suos precari sacrificii deos.

5. Damno sic iungitur gravius ludibrium.

4. Foret si Scipio!

5. Marcellus viveret!

3. Tace, sis! Adhuc securus es Romanis loqui?

Stipamur omnes barbaris militibus,

Suos qui colligant dies tutissime

Eum defendunt rostris et unguibus.

1. Adest!

2. Iuvat moestitiam nos fingere

Et auspicari maximam victoriam.

SCENA VI.

(*E longe militares buccinae exaudiuntur et voces ad clamantium: Io, triumph, Maxentio! Ei victoria! Io! Io!*).

IMPERATOR introreditur gerens in capite coronam auream et bellica iam veste indutus, multis circumdatu militibus, qui huc illuc populum impellunt, et ipsi partim ad dexteram, partim ad sinistram locum obtinent, dum duo milites curulem sedem in medio collocant, unde ipse alloquitur. Tunc sacerdos, laurum circa tempora ferens, progressus, porrigit incensum imperatori, omniaque ei fausta deprecatur. PUBLIUS, SCIPIO aliisque Senatores adsunt.

IMPERATOR, tripodem adspergens exclamat:

Tuum diis caput inferis nunc do et voveo

Tandem, Constantine, cito qui te perdunt.

Tu mille turpiter Caesares artibus

Nicomediae decepisti, furcifer:

Meis sed percussum mox exercitibus

Dabis tua parem morte mundo denuo.

(*Ad proximum numerum*).

I. B. FRANCESIA.